



**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorijs
III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV.,
Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges
Francorum, Carolvm Martellvm, ...**

Gretser, Jacob
[München], 1613

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum Pippinum Regem
directæ, in qua postulat adiutorium contra Græcos. XXXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

*Item exemplar Epistola eiusdem Papae, ad
Domnum Pippinum Regem directa, in qua postu-
lat adiutorium contra Græcos.*

XXXIV.

*Summ. S.
Bar. C.
Cant.*

DOMNO excellentissimo filio & nostro spirita-
li Compatri Pippino Regi Francorum, & Pa-
tricio Romanorum, Paulus Papa. Præcellæ
& à Deo seruata Christianitati vestre his nostris Apo-
stolicis innotescimus apicibus, quòd iam, absolutis
vestris Missis, qui nuper ad nos coniunxerunt, Wul-
chario videlicet sanctissimo fratre, & Coëpiscopo no-
stro, & Felice religioso, & Ratberto viro illustri, con-
iunxit ad nos nuntium Missum à fidelibus sancte Dei
Ecclesie, spiritualis matris vestre, qui vera nobis sem-
per adsolent indicare, significans nobis, quod nefan-
dissimi Græci, inimici sancte Ecclesie Dei, & ortho-
doxe fidei expugnatores, Deo sibi contrario, super
nos & Rauennatum partes intruere cupiunt, atque
motionem facere. Vnde quia alibi, post Deum, &
B. Petrum, nostra spes non est, nisi apud vestram no-
bilissimam Excellentiam, ideo obnixis deprecationi-
bus petimus te, excellentissime fili, & spiritualis Com-
pater, vt iubeas propter Deum, & reuerentiam B. Pe-
tri, salutem istius prouinciæ à vobis redemptæ, pro-
curare, & confestim vestrum dignemini dirigere De-
siderio Langobardorum Regi Missum, vt si necessitas
fuerit, significatum, auxilium nobis, pro incurssione
eorundem inimicorum, impertire debeat, præcipiens
Beneuentanis atq; Spoletinis seu Tuscanis, nobis è
vicino consistentibus, vt ipsi nostro occurrant sola-
rio; Deprecantes & hoc à Deo institutam Excellenti-
am ve-

am vestram, vt ad nos, hoc adueniente Martio mense, vestrum dirigere iubeatis Missum, qui hic Romæ nobiscum demorari debeat, & ipse si necessitas exigeret, apud Desiderium imminere debeat Regem, pro eodem nobis transmittendo solatio: quia, vt plenissime satisfacta est vestra Excellentia, non ob aliud ipsi nefandissimi nos persequuntur Græci, nisi propter sanctam & orthodoxam fidem & venerandorum patrum piam traditionem, quam cupiunt destruere atq; conculcare.

Pro quo iubeat solitè vestra benigna disponere Excellentia, vt eorundem inimicorum ad nihilum redigatur vesania, & perfectius hæc prouincia, vestro certamine redempta, & à vobis B. Petro pro remedio animæ vestræ concessa, ab æmulatorum insidiis vestra, consueta permaneat protectione, vobisque copiosa in cœlis adscribatur merces, & nominis vestri laus, & vniuersæ gentis exaltatio, sicut etiam factum est, & nunc multo amplius, in vniuerso orbe terrarum divulgatur, atque, intercedente B. Petro, victoriæ triumphum è cœlo vobis Dominus super omnes tribuat gentes, dum vestro auxilio confusis expugnatoribus sanctæ orthodoxæ fidei, pax & lætitia, & obseruatio Christianorum fidei in omnibus prædicata fuerit Ecclesiis, meritoque ex hoc cœlestia vobis à Deo conferantur gaudia. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.



V

Item